

## † Adm. R. P. Stanislaus Jackson (1868-1938)

(Prov. Anglicae)



Rector collegii Sunderlandensis P. Jackson morte sua quasi repentina d. 22 Apr. 1938 hanc communitatem aliosque plurimos magno affectit dolore; ob egregias enim virtutes dotesque ei verba biblica de Moyse dicta (*dilectus Deo et hominibus*) applicari poterant. Annum moriens agebat septuagesimum.

Iosepho Stanislao Jackson ortum dedit locus Ribchester prope Preston (Lancashire). Puer venit in Collegium Apostolicum Littlehampton, quod Patres S. I. moderantur, et finitis ibi studiis humanioribus, secutus exemplum commilitonum Driver et Taggart, S. Alfonsi familiae sese aggregare constituit. In novitiatu Bishop Eton (Liverpool), quem a. 1888 ingressus est, connovitum habuit hodiernum Rectorem Maiorem Rñum P. Partritum Murray. Ambo d. 23 Oct. 1889 vota sua nuncuparunt. Fr. Jackson studia philosophica et theologica perfecit in Teignmouth, ibique a. 1894 presbyteratus ordinem recepit

Anno subsequente P. Jackson in iuvenatu recens in domo Bishop Eton aperto cathedram ascendit, sed exacto triennio ob oculorum debilitatem hoc docendi officium cum officio missionarii commutavit. Exinde peragrabat universam regionem patriam, zelo vere apostolico verbum salutis annuntians.

A. 1900 fuit inter illos Provinciae Anglicae sodales, qui in civitatis Sunderland suburbio Monkwearmouth sub S. Benedicti Biscopii patrocinio novam sedem condidere. Cui communitati praefuit triennio 1909-1912 et iterum inde ab a. 1936. Interim per annos complures Provinciae Procurator vel Consultor Provincialis fuerat et annis 1931-1936 non modo collegium studentatus Hawkstone (Shropshire) gubernaverat, sed etiam theologiam moralem et ius canonicum clericos nostros docuerat.

Semper et ubique P. Jackson se religiosum exemplarem monstravit, regularis observantiae studiosum. Cuilibet operaे sibi iniunctae sese totum dicabat. Praeter missiones, quas iam commemoravimus, etiam multoties exercitia spiritualia, Gallico quoque sermone, praedicavit.

Mors eius inopinata hoc modo accidit: Hebdomada Santa huius anni frigore tactus esse videbatur et fer. VI in Passionis cantu, partes agens turbae, peculiari difficultate impediri. Vesperi praemature ante tempus cubitum ivit, res in eo plane insolita. Sabbato Sancto longae caeremoniae

non interfuit, sed intra Missam in lectulo panem vitae pie recepit. Festo Paschatis non omisit Deo offerre sacrosanctum Sacrificium (et fuit eius Missa ultima); venit quoque ad benedictionem agni paschalis in refectorium, sed inter prandium molesta tussi laborare videbatur. Postea medicus, qui propter alterum sodalem ad nos venerat, etiam P. Rectorem invisit, eumque in cubiculo manere voluit, quamquam non iudicabat necessariam continuam lectuli quietem. Praefecto infirmorum ita suadente P. Jackson ex illo tempore a litanda Missa abstinuit. Videbatur quidem diebus sequentibus meliuscule esse, cum Frater nosocomus fer. VI (27 Aprilis), hora 8 eum vocans, nullum responsum recepit. Existimans eum dormire, post horae intervallum rediit, et cum talis « somnus » ei timorem ingeneret, Praefectum infirmorum accersivit, qui non omisit Patri Rectori « consopito » extremae unctionis sacramentum administrare. Verum brevi postea medicus aliud pronuntiavit iudicium, eheu ! communitati vehementem commovens moerorem : e corpore dilecti P. Rectoris tum rigescente animam iamiam arte aliquod tempus vi effluvii in cerebrum evolasse.

Nobiscum valde dolebat fidelis populus. Iam vespere Dominicae, cum a confratribus, praeside ipso P. Provinciali, Officium defunctorum recitabatur, ecclesia repleta erat christifidelibus. Vel magis id evenit mane insequente in Missa exsequiali a P. Provinciali cantata, cui etiam Vicarius Generalis dioecesis et circa 35 sacerdotes ac religiosi intererant. Et cum dilecti Patris corpus mortuum ad caemeterium Mere Knolls efferebatur, in viis publicis atque in sepulturae loco item magna lugentium multitudo stetit.

Requiescat in pace Christi anima illius, qui propter egregia virtutum exempla in morte fere repentina tantum sui desiderium excitavit.